

V 00

M. A. N. 407.


Johann G.

n. 15. weissen Schrift

M. VI. 97.







ORATIO  
DE QVAESTI-  
ONE ILLA: DISSEN-  
SIONIBVS IN ECCLESIA

GLISCENTIBVS, QUID FACERE HOMO  
*Christianus, praecipueq; sacrarum literarum studiosus, & quo-  
modo se gerere debeat, vt ad Cognitionem veritatis perue-  
niat: à GEORGIO SOHN, S. Theologiae Doctore,  
in celeberrima Academia Heydelbergensi  
habita, XVIII. Iulij, Anno  
CIC. IO. XXCIV.*



HEYDELBERGÆ,  
Excudebat Iacobus Mylius 1584.

ORATIO

DE QVAESTI

ONE ILLA DISSEN

SIONIBVS IN ECCLESIA

DE QVAESTI

ONE ILLA DISSEN

SIONIBVS IN ECCLESIA

DE QVAESTI

ONE ILLA DISSEN

SIONIBVS IN ECCLESIA

DE QVAESTI

ONE ILLA DISSEN

SIONIBVS IN ECCLESIA

DE QVAESTI

ONE ILLA DISSEN

SIONIBVS IN ECCLESIA

DE QVAESTI

ONE ILLA DISSEN

SIONIBVS IN ECCLESIA

DE QVAESTI

ONE ILLA DISSEN

SIONIBVS IN ECCLESIA

DE QVAESTI

ONE ILLA DISSEN

SIONIBVS IN ECCLESIA

DE QVAESTI



ORATIO, DE STUDIO IN  
DAGANDAE ET COGNOSCENDAE

VERITATIS, HABITA à GEORGIO  
SOHN Theologiae Doctore, &c.



I quis vestrum fortè miratur, auditor  
res, cur ego, qui iam à multis annis in  
alia Schola docui: nunc in hanc ce-  
leberrimam professorum Theologo-  
rum cathedram ascenderim: is sciat  
me hoc non sine graui causa fecisse.  
Cùm enim ea libertate, quæ ad Theologiæ professio-  
nem necessariò requiritur, in pristino meo loco vti,  
per eos qui potestatem habent, non liceret: excun-  
dum istinc potiùs, quàm de rebus necessarijs, & ad  
Theologiæ professionem maximè pertinentibus,  
cum læsione conscientiæ silendum, existimaui. Nam  
professoris Theologi est, non in terram defodere ta-  
lentum sibi concreditum, sed ad vsuram multorum  
& vtilitatem expromere: non tacendo proderè aut  
obscurare, sed docendo ad multos propagare cogni-  
tam veritatem. Non enim accendunt lucernam &  
ponunt eam subter modium: sed in candelabrum,  
& splendet omnibus, qui sunt in domo, ait Chri-  
stus, Matth. cap. 5. Etsi autem non solùm Illustrissi-  
mus princeps ac Dominus, Dominus IOHANNES  
CASIMIRVS, Comes Palatinus ad Rhenum, &c. ad  
quem iure diuino & humano administratio huius  
regionis pertinet, sed etiam alij hoc tempore me vo-  
cabant: in primis autem illustris & generosus Domi-  
nus Dn. Ioannes Comes Nassouius (neq; enim tam  
A 2 pium

ORATIO DE STUDIO

pium tamque heroicum pectus, quo ego non vidi aliud literarum & literatorum, religionis & religiosorum amantius, tacitus hinc præterire possum) tamen quod operam me in primis utilem hinc nauare posse viri docti & pij existimarent, hanc vocationem reliquis anteposui, & non solum gubernationem domus Sapientiae, quam vocant, sed etiam nunc in hac inclyta Academia munus docendi mihi assignari passus fui. Deum Patrem Domini nostri IESU CHRISTI ex animo precor: atque utinam mecum omnes Precemini: ut in hoc cursu vocationis meae me Spiritu suo clementer regat & gubernet, ad nominis sui gloriam & Ecclesiae ac piorum aedificationem, Amen.

Cogitanti autem mihi de qua re potissimum nunc ex hoc loco verba facerem: placuit illud breuiter explicare: Diffensionibus de religione seu doctrina in Ecclesia gliscentibus, quomodo se homo Christianus, praecipueque sacrarum literarum studiosus gerere debeat, ut ad veritatis cognitionem perueniat. Etenim notum & quidem nimis notum est, quis nunc sit Ecclesiae status in Germania: quae certamina redintegrentur: quae dogmata à multis circumferantur & serantur: quibus clamoribus, calumnijs, conuictijs & condemnationibus Tempora & Scholae personent: quam miserè multorum conscientiae turbentur, quam multi perplexi & dubij hæreant, in tanta tamque acerba doctorum diffensione.

Vnde fit ut non solum error in multis confirmetur, sed etiam in alijs offendiculum, in alijs odium verae doctrinae, in alijs contemptus omnis religionis & prophana



& prophana securitas & atheismus existat, non tantum cum dedecore, verum etiam cum detrimento grauiſſimo Eccleſiarum reformatarum, & iactura fidei & ſalutis æternæ. Cum enim ſine intermiſſione ſicaltercantes vident, nec ſe extricare ex eiſmodi quæſtionum labyrinthis poſſunt, non ſolum de ijs quæ in controuerſia ſunt, ſed de vniuerſa religione dubitare incipiunt, quam mox negligunt, neglectam contemptui habent & prophanant. Quamobrem operæ precium me facturum exiſtimaui, ſi de via quam in inueſtigatione veritatis quiſque tuto ſequi, & qua ad cognitionem veritatis peruenire, in tanta ſententiarum diſſimilitudine poſſet, breuiter explicarem.

Deum iterum oro, vt mihi dicenti Spiritu ſuo adſit, & os ac linguam regat ad gloriam ſuam & noſtri ædificationem. A vobis autem, auditores humaniſſimi, contendo, vt me benignis auribus & animis audiatis. Res enim proſectò digna eſt, quæ hoc temporis ſtatu & à me explicetur, & à vobis conſideretur. Quid igitur faciet homo Chriſtianus, in primis autem Theologiæ ſtudioſus, cum in Eccleſia controuerſiæ de doctrina & ceremonijs mouentur, & certamina magis magiſque creſcunt? Quid inquam, faciet, & quomodo ſe geret? Ante omnia hoc ſtudioſè & diligenter aget, vt veritatem & falſitatem dogmatum ipſe cognoſcat, nec ab alieno iudicio ſemper pendeat, alienis oculis ſemper videat, alienis auribus ſemper audiat, alieno ore ſemper loquatur. Nam & per ſe amabilis res eſt veritas, de qua rectiſſimè dici poſteſt, quod de honeſti ſpecie Plato dixit: ſi oculis

ORATIO DE STUDIO.

cerni posset, quemadmodum animo concipi potest,  
mirabiles sui excitaret amores. Et vnicuique diuini-  
tus incumbit necessitas legendi scripturam & inue-  
stigandi ac cognoscendi veritatem. Nam expressum  
est mandatum Zachar. 8. Diligite veritatem & pa-  
cem, Esai. 8. Ad legem & testimonium, Matth. 17. Hic  
est filius meus dilectus, in quo acquiesco, hunc audite.  
Ioan. 5. Scrutamini scripturas. Luc. 17. Habent Mo-  
sen & Prophetas: audiant eos. 1. Thessalon. 5. Omnia  
probate, quod bonum est tenete, 1. Ioan. 4. Ne cui-  
uis Spiritui credite, sed probate spiritus an ex Deo  
sint. 1. Cor. 10. Vt peritis loquor, iudicate vos quæ di-  
co, 1. ad Timoth. 4. Attende lectioni.

Etsi enim non omnes Theologorum functuri  
sunt officio: nam hæc vita multis etiam alijs artibus  
& officijs indiget: tamen quicumque se Christianos  
profitentur, imò quicumque se homines à Deo con-  
ditos agnoscunt, & hominis nomen tueri volunt,  
hoc suarum partium esse facile intelligunt, vt ali-  
quid temporis lectioni scripturæ, vel auscultationi,  
& meditationi tribuant.

Et inueniri etiam veritas ab ijs potest, qui eam  
pio studio quarunt: sicut dicitur, Luc. 11. Quânto  
magis pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum  
petentibus: & Iacobi 1. Qui dat omnibus benignè,  
nec exprobrat. Nam per lectionem vel auscultatio-  
nem piam scripturæ, efficax est Deus & accendit in  
animis lucem veritatis. Itaque nemini licet negligere  
recognitionem veritatis: nemini licet esse neutralis:  
sed omnes obligati sunt Deo ad iustam veritatis in-  
uestigationem & cognitionem.

Et

INDAGANDAE VERITATIS. 4

Et talis hypocrisis, quæ dissimulat & tacet, Deo & hominibus inuisa est: & propria conscientiae testimonio apud Deum damnantur, quicumque aliquid huiusmodi faciunt. Talis etiam siue pertinacia, siue negligentia, quæ iustam veritatis cognitionem aspersatur, quæ homines innocentes & rectè sentientes damnat, calumniatur, traducit, tandem in iustam Dei vindictam incurrit, sicut dicitur, Esai. 8. Si non dixerint secundum verbum hoc, non erit eis lux matutina. Non enim semper emanent, sed tandem Deo vindice sese exerunt stimuli conscientiae. Et non solum de propria anima periclitatur, qui huiusmodi aliquid facit, sed etiam alios in discrimen trahit, dum eis ruinæ causam præbet.

Sed enim fieri potest, ut iam sint, qui veritatem & falsitatem scire cupiant: modum tamen cognoscendæ veritatis & falsitatis, id est, quid faciendum fugiendumue sit, ignorent.

Quomodo igitur ad veritatis cognitionem perueniri? Aut quomodo falsum dogma à vero discerni ac dignosci potest? Primum, si obstacula quæ impedire veritatis cognitionem solent, amoveantur: Deinde si media, quibus ad veritatis cognitionem perueniri potest, vel quæ veritatis cognitionem iuvant & promouent, rectè adhibeantur. Itaque tum de obstaculis istis amouendis, tum de medijs, quibus veritas & falsitas deprehendi potest, adhibendis, exponam. Quid igitur obstat, quo minus multi ad cognitionem veritatis perueniant, aut peruenire possint? Et quomodo id quod obstat remoueri potest? Primum, nonnullis obstat curiositas, vel desultoria animi

I  
Curiositas.

ORATIO DE STUDIO

animi leuitas, quam Apostolus ad Ephes. 4. vers. 14. *κυβεία* vocat: qui dum nimis auidè res nouas arripieunt, & temerario impetu rapiuntur ad iudicandum, ac præcipitant iudiciū, infeliciter res omnes, vt Politicas, sic etiam Theologicas & spirituales tractant, ac facilè & citiùs quàm credas, errorè imbibunt, imò ex doctrina per se bona sæpè malum aliquod hauriunt. Itaq; rectè ex nostris nonnulli Curiositatem vel sororem, vel matrem hæreseos dixerunt. Et de hac Curiositate vaticinatur etiam Apostolus 2. ad Timoth. 4. vers. 3. Talis autem curiositas certè procùl remouenda est, cùm veritas indagatur, secundum Pauli præceptum ad Roman. 12. Nemo sapiat vltra quàm oportet, sed sapiat ad sobrietatem: Et ad Ephes. 4. Ne circumferamur quouis vento doctrinæ, &c: Et ad Hebr. 13. Doctrinis varijs & peregrinis ne circumferimini. Neque enim vnquam veritatem inuenient, qui hoc vitio curiositatis laborant.

Affectus.

Iam affectus multis obstant, quò minus ad cognitionem veritatis peruenire possint: nempe amor, odium, ira, inuidia, &c. Nam, vt amant vel oderunt homines, ita iudicant. Atque hi affectus vbi semel animis insedèrunt, omnem iudicij rectitudinem tollunt. Itaque sæpè si affectus conciliari possent, facilis esset controuersiarum cõciliatio. De qua re tantò accuratius monendum est, quantò magis nunc affectus isti passim regnant.

Videmus enim vt multi dissecentur cordibus & stridant dentibus in sinceros doctores, sicut dicitur, Actor. 7. ver. 54: Videmus vt multi affectu magis quàm iudicio sequantur doctrinam. Ab his igitur repurgan-

INDAGANDAE VERITATIS.

repurgandus est animus, cum veritatis & falsitatis examen instituitur. Animus enim excoecatus & induratus affectibus, ceu terra indurata, non capit semen verbi diuini. Et nihil magis turbat iudicium rationis, quam affectus. Nam qui Scripturam cum affectu legunt, & dogmatis semel concepti defensionem, aut simile quippiam in ea quaerunt, ij non solent respicere ad genuinam scripturae sententiam: sed affectibus suis indulgentes plerumque obliquè ad id detorquent omnia, quod maximè probatum cupiunt: Similiter qui dogma controuersum cum affectu legunt, ij pro affectu suo omnia intelligunt, & quae rectè dicta sunt, calumniosè peruertunt, & falsa esse pronunciant: quemadmodum illi, qui per vitrum viride cernunt, omnia viridi colore tincta existimant: Et sicut Phalangium, quicquid vel sugit vel lambit, quantumuis dulce sit, in venenum conuertit. Coerceat igitur hos affectus & reprimat cogitatio dicti Pauli, iram & odium recensentis inter opera carnis, ad Galat. 5. & prohibentis ne sint in nobis Zeli, id est, inuidiae, 1. Corint. 12. Corerceat & reprimat cogitatio illius, quod Salomon dicit: Odium excitat contentionem: sed dilectio multitudinem tegit peccatorum, Prouerb. 10.

Multi etiam ambitione impediuntur, vt non possint indagare veritatem aut veritati locum dare, <sup>Ambitio.</sup> qui indignum persona sua existimantes, discere, aut meliora docentibus cedere & mutare propositum: cum offendiculo Ecclesiae litigare, quam vanæ gloriolæ iacturam facere malunt. Itaque pro honore & existimatione, tanquam pro aris & focis, pugnant.

B

Sed

ORATIO DE STUDIO

Sed ambitionem istam coerceat & reprimat grauissima reprehensio illorum, qui diligebant & quærebant gloriam suam potius, quàm gloriam Dei, Ioh. han. 12. Et præceptum Apostoli dicentis, ne simus inanis gloriæ cupidi, alij alios prouocantes, ad Galat. 5. Ne quid geramus per contentionem aut per inanem gloriam, ad Philip. 2. Non enim is qui se commendat, ille probatus est, sed is quem Dominus commendat, ait idem 2. Corint. 10.

Similiter multis obstat φιλαυτία, seu Δοξοσοφία, id est falsa præsumptio ac vana persuasio scientiæ aut eloquentiæ: qui de seipsis magna præsumunt, & sibi vehementer placent. De quibus vaticinatur Apostolus, 2. Timoth. 3. dicens: erunt homines sui amantes, φίλευτοι, gloriosi, &c. Quibus cogitandum est illud Apostoli: quid habes, quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Corinth. 4. Et illud Salomonis, Non sis sapiens apud te ipsum, nec innitaris prudentiæ tuæ, Proverb. 3. Et iterum illud Apostoli, si quis sibi videtur aliquid scire, nondum quicquam nouit, sicut nosse oportet. Item, scientia, nempe falso præsumpta, inflat, charitas verò ædificat, 1. Cor. 8. Et illud Augustini: Multi ad cognitionem veritatis non perueniunt, quia se iam peruenisse putant. Et illud quod vulgo dicitur: vnusquisque sibi pessimus est magister. Et illud Pindari, τὸ δοκεῖν ἀλίθειαν βιάζεται.

Cogitandum, Theologiam non in sola cognitione, sed in actione, & veræ pietatis demonstratione, præcipuè sitam: nec satis esse mentem eruditione instructâ & linguæ plectrum volubile habere, nisi  
in volun

IN D A G A N D A E V E R I T A T I S.

in voluntate & corde, veri motus pietatis, pœnitentiæ, fidei, dilectionis Dei & proximi existant. Cogitanda denique naturalis in rebus diuinis cœcitas & humani iudicij deprauatio: quæ facit vt sacram Scripturam intelligere & doctrinam eius percipere per se nemo possit, sed absurdas potius opiniones quibus que concipiat, nisi Spiritus sanctus, pulsus naturalibus tenebris, mentes nostras illuminet & Scripturæ intelligentiam largiatur. Nam animalis homo, id est, Spiritus sancti lumine destitutus, non percipit ea quæ sunt Dei: stultitia enim sunt ei: sed nec potest percipere, quia spiritaliter, id est, per Spiritum sanctum nobis donatum, vel per Spiritus sancti gratiam dijudicantur. Nam vt illi, qui conspiciunt viridibus vtuntur, colores omnes virides esse iudicant: ita homo animalis, id est, Spiritus sancti lumine destitutus, tenebras, esse lucem, falsum esse verum, & contra iudicat: nec corruptæ mentis oculis intueri in lucem illam diuinam Scripturæ potest.

Multos etiam ab inuestigatione & cognitione <sup>φιλονικία</sup> veritatis retardat <sup>κῆρα</sup> φιλονικία, qui fiducia ingenij disceptationes mouent: & victoriam quouis modo reportare conantur. Itaque quiduis dicunt & faciunt ad opprimendum aduersarium, & vincendi studio Ecclesias perniciosis rixis perturbant, & quæ aduersari suæ sententiæ vident, callidè & astutè eludunt Scripturam falsa interpretatione peruertentes: & suas opiniones fucosa specie veritatis ornant: Sicut olim Arius elusit testimonia de æterna Deitate filij, & nunc homines astuti fucosa specie defendunt errores. Sed hic cogitanda ingenij nostri imbecillitas, in  
B 2                      mysterijs

ORATIO DE STUDIO

mysterijs Dei, de qua passim Scriptura nos commo-  
nefacit, in primis, 1. ad Cor. 2. Cogitandum est, non  
victoriam hinc quærendam, sed veritatem: & laudabi-  
le esse vinci potius in hoc genere, quàm vincere,  
cùm veritas indagatur. Cogitandum quod Aposto-  
lus dicit, nihil possumus contra veritatem, sed pro  
veritate, 2. Cor. 13. Denique cogitandum quod Eccles-  
iasticus dicit, qui sophisticè loquitur odibilis est,  
cap. 37, & abijciendum vincendi cauillandique stu-  
dium. Nunquam enim ad veritatis cognitionem  
perueniunt aut peruenire possunt, qui in hoc stud-  
ium incumbunt & his rebus operam nauant. Nam sic  
accidere solet, quemadmodum Maxentius scribit, vt  
passim impingant illi, quorum mens contentioni  
indulgens, non sanari, sed vincere cupiens, auersa ab  
ijs, quæ rectè dicuntur, tantùm intenta est in hoc, vt  
inueniat, quod pro suis partibus eloquatur.

pertinacia,  
Αἰσχρότης Similiter multos pertinacia remoratur, qui indi-  
gnum existimatione sua arbitrantur, si aliquid minus  
rectè sensisse aut dixisse videantur, à se & Magistris suis  
semel prolata mordicus tueri, quàm veritatem in-  
dagare malunt. Itaque in sententijs suis perstant &  
opiniones à se conceptas, vel ab alijs acceptas vsque  
ad mortem tuentur, semper vt mali Musici in eadem  
corda oberrantes, duri & intractabiles, cedere nesci-  
entes, denique externam obedientiam in audiendo  
& meditando sitam detrectantes.

Talis etiam pettinacia procul abesse debet, cùm  
de veritate & falsitate dogmatum quæritur. Et si  
enim turpis est ignoratio veritatis & indigna homi-  
ne Christiano: tamen turpior est in illis, qui sic igno-  
rant



INDAGANDAE VERITATIS. 7

rant vt seire nolint, quàm qui sic ignorant vt seire velint. Nam longè tolerabilius est nescire, quàm nolle seire. Et hos pertinaces, quos sua sic delectat cæcitas & ignorantia grauissimum iudicium Dei manet, nisi resipiscant.

Iam multis & quidem ijs etiam, qui alioqui non sunt mali, obstat præiudicium: qui aliorum iudicio Præiudicium stantes in sententia concepta permanendum; neque cium. inquirendum vltèrius de doctrinæ veritate putant. Præiudicium illud plerunque oritur ab autoritate illorum, quos attoniti suspiciunt & admirantur, aut quos impensè amant homines: vel à multitudine eorum, qui dogma controuersum amplectuntur. Nam sunt interdum, qui de viris eruditis, ita iudicant, vt eorum dicta pro oraculis habeant, atque eos errare non posse existiment. Quæ res in primis grauius ter iudicio nocet, & veritatis indagacionem remoratur. Hinc enim fit vt pro vero sapè regnet opinio. Sic olim multi præpostera admiratione Origenis capti, omnia eius dogmata promiscuè & sine discrimine amplexi sunt, ita vt necesse fuerit errores ipsius & perperam dicta publicè notare. Sic Donatistis Cypriani obfuit autoritas, qua contra Augustinum & alios Orthodoxos ita sunt abusi, vt epistolam istam, quam ad Iubianum scripsit, & quam Donatistæ potissimùm adducebant, reijci & erroris argui necesse fuerit. Quid aliud in regno Pontificio veritatis cognitioni obstitit, quàm illa de autoritate Ecclesiæ & quòd errare nō posset, præconcepta persuasio? Quid hodie multos detinet, nisi quorundam doctorum virorum, quos amant, autoritas, & præpostera & nimis

ORATIO DE STUDIO

mis affectata admiratio? Quod dico notum est, & in luce atque oculis omnium positum.

Sunt etiam multi qui respiciunt ad multitudinem & ei se aggregant, ab ea stare veritatem existimantes: aut ad externos successus dogmatum, ex eis religionis veritatem aestimantes. Hoc igitur præiudicium deponendum est, cum de veritate & falsitate dogmatum quæritur: Nec vel autoritas vllius quantumvis eximij viri, vel multitudo hominum verbo Dei & veritati, quæ ex eo monstratur, anteponenda.

Nam præter Prophetas & Apostolos nemo hominum est, qui non errare in doctrina possit, nemo est, cui competat autoritas iudiciaria vt ipsius dicta aut scripta sint norma iudicandi, & canon ac regula fidei & religionis. Deinde multitudo errantium non parit errori patrocinium, & Exod. 23. expressè dicitur, Non eris post multos ad mala, &c. Nam sæpè maior pars vincit meliorem, & ὄσα βιάζεται τὴν ἀλιθίαν. Et si ex multitudine, vel paucitate, si ex successu externo & vulgi applausu de veritate & falsitate doctrinæ statuendum esset, quomodo olim Noë fide sua damnare omnes sui seculi homines potuisset? Quomodo Elias doctrinam suam tueri aduersus Baalitas potuisset? Quomodo Lutherus suam aduersus Papatum tueri, & quomodo stare potuisset? Et hodie quomodo fidem nostram aduersus Turcas tueremur? Præterea ius diuinum & humanum postulat, vt non prius de doctrina aliqua iudicetur, quàm cognita perspectaque fuerit. Nam vnicuique diuinitus imponitur necessitas audiendi vtramque partem & rectè iudicandi. Ioannis 7. ait Nicodemus, Num Lex nostra.

INDAGANDAE VERITATIS. §

nostra condemnat quempiam, nisi prius audierit & cognouerit. Nam hunc ordinem Deus nominatim populo suo præscripserat in iudicando, & commendauerat. Deut. 17. & 19. Sic Eccles. 11. Ne accuses quemquam, priusquam explorâris: Ioannis 7. Ne iudicate secundum speciem, sed iusto iudicio iudicare: Et 1. Cor. 14. Nolite ante tempus iudicare. Et ratio dicit atq; æquitas naturalis suadet, neminem nisi audita cognitaque causa damnandum esse. Vnde illud ἀμφοῖν ἀκροῦσθαι: Item, Qui parte inaudita altera statuit, æquum licet statuerit, non est æquus tamen. Itaque Præsides Romani damnare Paulum, nisi prius legitimè accusatum & auditum noluerunt, Acto. 23. vers. 39. & 25. vers. 18. Et similiter Ephesini iudices. Act. 19. vers. 37. 38.

Et talis consuetudo veteris Ecclesiæ semper fuit, vt non damnaret hæreticos, priusquam eorum causam in legitima Synodo cognouisset. Vbi enim Arius? vbi Eutyches? vbi Nestorius? vbi Apollinaris, Marcion, Manetes, Donatus, Pelagius, Macedonius, Nouatus, Eunomius, damnati sunt nisi in Synodo?

Non minùs inuestigationem & cognitionem veritatis impediunt falsæ narrationes, calumniæ & obtruncationes, quibus doctrina & doctores sæpè deformantur. Cum enim nouum dogma spargitur in vulgus, ex decem, qui id circumferunt, vix duo consentiunt in narratione, dum alius addit, alius detrahit, alius peruertit aut immutat. Vnusquisque enim narrat, quod pro captu suo potest, & quod pro affectu

De calumnijs & obtruncationibus.

au

ORATIO DE STUDIO

At suo maximè probat. In primis autem qui ex affectu vel præiudicio infensi sunt doctrinæ, deformare & infamare eam omni studio atq; omnibus modis conantur: Imò sicut PseudoPropheta Balaã à Balac rege Moabitarum ad maledicendum populo Dei mercede & honoribus conducebatur, Num. 22. ita multi quasi ad maledicendum conducti sint, diuino munere aduersus Deum & Ecclesiam abutuntur, & conuitia, <sup>vi</sup>comminationes, calumnias, contumelias, condemnationes, minas, imprecationes in homines nec auditos nec conuictos eructant atque euomunt. Atque his clamoribus multi impediuntur, vt nec quæ sit vera doctrina considerent, nec quid fiat apud rectè docentes aspiciant, imò vt nec vera quidem referentes, aut monētes audiant. Sic olim Christum & eius doctrinam odiosè traducebant Pontifices & Sacerdotes in populo Iudaico, dicentes eum afferre nouam doctrinam, seducere plebem, esse blasphemum, affectare regnum aduersus Cæsarem. Sic Paulus non solùm publicè accusabatur, quod doceret aduersus populum Iudaicum, legem & sanctam ciuitatem, Actor. 25: Sed etiam occultis obtrèctationibus odiosè apud rerum ignaros traducebatur. Similiter reliquis Apostolis & eorum discipulis obtrèctatum esse ex 1. Pet. 2. v. 12. & alijs locis apparet. Sic in primitiua Ecclesia Christiani traducebãtur, quòd in cœtibus suis euerfis candelabris cū luminaribus promiscuè in Venerem ruerent, quòd infantes necarent eorumque sanguine vterentur in Sacrificijs, quòd caput asini adorarent, quòd Solem colerent, atque alia nefanda perpetrarent, vt refert Tertullianus, Apolog.

Apolog. cap. 7. 8. 9. De Luthero & alijs viris doctis quàm multa & in concionibus & in libris suis fabulati sunt Pontificij? Et hodie de viris doctis, quàm multa multi fabulantur, & in vulgus spargunt? Nulla sunt conuitorum genera, quæ non in nos & nostram doctrinam comminisci & blaterare audeant, saltem vt nobis odium & inuidiam apud simpliciores & rerum imperitos, sibi verò autoritatem & fauorem concilient & credulam plebem à cognitione doctrinæ nostræ absterreant: contra seuerissimum Dei mandatum: Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum. Item, Non eris criminator aut susurro in populo, Deut. 20. Leuit. 19. Non de omnibus dico, sed de illis, qui hoc in more habent.

His calumnijs quæ ex Sathanæ officina procedunt, occludendæ sunt aures, cum de veritate aut falsitate dogmatis quæritur, & suspendendum iudicium, donec res omnis vti est, ex ipsis autoribus aut eorum libris aut hominibus alijs peritis & fide dignis & candidè iudicantibus cognoscatur: Et sedulò cogitandum atque ad vsum transferendum illud, quod Petrus dicit: Deposita omni malitia & omni dolo & simulationibus & inuidentijs & omnibus obrektionibus, vt modo nati infantes lac illud sermonis sincerum expetite, vt per illud adolescatis, 1. Pet. 2. Nam ad veritatem peruenire non possunt, qui susurris & falsis delationibus quadam stulta credulitate, qualis hodie in multis apparet, aures præbent. Et profectò non est boni viri, nedum hominis Christiani, in re serua alterius verba aut sententiam studio peruertere, aut peruertentibus aures præbere & calumnijs

ORATIO DE STUDIO

Iamnijs locum dare. Deinde cogitanda est singularis Dei prouidentia sæpè mirabiliter suos defendentis, & Baalaamitarum maledicta sic gubernantis vt in benedictiones conuertantur: & quæ lædere causam ac famam populi Dei videbantur, magis iuuent & promoueant. Nam maledictio, inquit Salomon, sine causa prolata non veniet, Prouerb. 26. Et Dauid, Ipsi maledicunt, tu autem benedices: Ipsi insurgent & pudefient; seruus autem tuus lætabitur, Psal. 109. Et rursus Dauid cum à Semei maledictis peteretur, sinite illum, inquit: forsitan respiciet Iehoua ad afflictionem meam & reddet mihi bonum pro afflictione eius hodie.

Scandalū.

Iam & scandalum quandoque obstat quo minus veritatem multi inuestigent: quòd à dissimilitudine sententiarum & dissidiorum acerbitate, & multitudine vel paucitate amplectentium dogma controuersum eis obijcitur.

Cum enim non solum dogmatum dissimilitudinem in Ecclesia, sed etiam contentionis feruorem vident: ita quidam commouentur & perturbantur his spectaculis, vt dubitent, vbi sit veritas, & cui se cœtui adiungere debeant, & tandem neutri patri fidam habeant, atque adeò omnem veritatis indagationem aspernentur, aut quod libet, credant in tot factionibus: & doctoribus ac ministris verbi maledicant. Nonnulli cum vident confusiones & pericula, cum tot principes, tot Theologos tamque eloquentes vident, cum ab vna parte magnam hominum multitudinem stare vident, ita franguntur, vt non solum fluctuent dubitationibus, sed tandem etiam  
omni

omni sensu pietatis extincto in Epicureum contemptum & prophanam securitatem prolabantur: nisi mature ab istis dubitationibus liberentur. Sed hinc primum cogitandum est, non esse hoc nouum, sed omnibus temporibus ita vsuuenisse in Ecclesia. Nā quò puriores sunt Ecclesiae, & quo purius docetur verbum Dei, eò magis tumultuatur & fremit Sathan, & eò magis intentus est ad seminandum errores & contentiones, vt doctrinam synceram in dubium vocet, & Ecclesiae cursum remoretur. Deinde cogitandum est Christum & Apostolos hæc dudum prædixisse, Matth. 18. vers. 7. Matth. 24. 1. Cor. 11, vers. 19. 2. Pet. 2. vers. 1. Et cap. 3. vers. 3. 1. Tim. 4. vers. 1. Et 2. Tim. 4. vers. 3, ac simul mandasse veritatis inuestigationem, sicut supra scripturæ testimonijs declarauimus: Itaque nostrum est eiusmodi scandalum ex animo eijcere, & dissidia secundum normam verbi diuini rectè diiudicare, & veritatem cognoscere. Tertio cogitandum exemplum Apostolorum, qui quantumuis multis contradicentibus, in doctrina vera tum de persona, tum de officio Christi constanter perseverabant, Ioannis 6. vers. 68: neque ad Cæsarem Romanum, ad Herodem, ad Phariseos & scribas minaces, aut ad plebem seditiosam respiciebant, vt acta ipsorum testantur. Denique cogitandum singulari prouidentia Dei hæc ita disponi ad piorum probationem, 1. Cor. 11. ver. 19. & impiorum iustam punitionem, qui veritati Dei obedire & acquiescere nolunt, 2. Thess. 2. vers. 11.

Sunt etiam quos remoratur pudor & fuga crucis, id est, metus odij, inuidiæ, ignominiae, exilij, periculi.

ORATIO DE STUDIO

culi, quod interdum coniunctum est cum professione  
veritatis: quibus mens & lingua in ventre est, qui  
que libenter Christum amplecterentur, si à cruce  
sua eum separare possent. Itaque ubi cedendum non  
est, ut spongiæ & corpora porosa durioribus, sic isti  
periculis cedunt: Quales nimirum fuerunt Primores  
illi, qui crediderunt quidem in Christum, sed pro-  
pter Phariseos non ausi sunt confiteri, ne Synagoga  
mouerentur: dilexerunt enim gloriam hominum  
potius, quam gloriam Dei, Ioannis 12. Sed hinc cogi-  
tandum est mandatum Dei de confessione non de-  
tractanda: cogitanda promissio & cōminatio anne-  
xa confessioni & abnegationi: Qui me confessus fue-  
rit coram hominibus, eum confitebor coram patre  
meo cœlesti, & qui negauerit, negabo, Matt. 10. Non  
deseram te neque derelinquam, Hebr. 13. Ero vobis  
scum vsque ad consummationem seculi, Matth. 28.  
Beati eritis cum conuicti fuerint vobis & persecu-  
ti fuerint, & dixerint quiduis mali adversus vos, men-  
tientes propter me, &c. Matth. 5. Hoc enim manda-  
tum Dei & hæc promissio de protectione necessaria  
in hac vita & salute æterna quantumuis magnis &  
multis cum periculis coniuncta, longissime ante pos-  
nenda est etiam altissimæ paci & omnibus felicitati-  
bus huius mundi, cum Dei & veræ salutis ignoran-  
tia coniunctis. Cogitandum inde ab initio similem  
fuisse fortunam Ecclesiæ & veritatis cœlestis in mun-  
do, eamque semper à tyrannis & professis hostibus,  
semper à falsis fratribus, semper à doctrinæ deprava-  
toribus & Schismatum autoribus turbatam aut op-  
pugnatam fuisse, Psal. 124. vers. 1, & Psalm. 129. v. 1. &c.  
& 1. Cor.



& I. Cor. 4. vers. 9: Et similia nobis expectanda esse vsque ad mundi finem ex multiplici & serua predictione Christi & Apostolorum: Imò hanc vltimam mundi senectam futuram multò ærumniosionem superioribus ætatibus. Cogitandū Ecclesiā ac fideles ab initio per ista pericula, per gladios & rogos hostium & insidias perripisse, & victoriam reportasse. Deinde cogitanda est natura veræ fidei, quæ non aliud in corde fouet, aliud sermone & gestu ostendit, nec sui dissimulationem patitur. Corde enim creditur ad iustitiam, sed ore fit confessio ad salutem, Rom. 10. Cogitandum exemplum Christi, qui omnis generis contumelias, paupertatem, exilium, ipsam denique mortem propter nos perpeffus est. Cogitandum etiam exemplum Pauli & ὑπακουσας suam sic nobis ad imitandum proponentis: Ego didici, in quibus sum, ijs ipsis contentus esse: Noui deprimi, noui etiam abundare: vbique & in omnibus initiatus sum, & ad saturitatem & ad esuritionem, id est, tum ad abundantiam, tum ad inopiam, ad Philipp. 4. Cogitandum nunquam defuisse veritati patrocinia filij Dei. Cogitandum quod veritas est temporis filia, & tandem erumpit ac perripit oppressis opinionibus, sicut dicitur, Psal. 94. Tandem ad iustitiam reuertetur iudicium, & ei adhærebunt omnes recti corde. Deniq; cogitanda est poena quæ os fores crucis Christi manebit. Nam vt erga Deum horribiliter ingrati sunt, qui propter terrena quædam & temporaria commoda omittendam putant veritatis inuestigationem, ita poenas sibi temporarias, & nisi resipiscant, æternas attrahunt: sicut dicitur: Abnegabo eū coram Patre meo cœlesti. Item, Qui non accipit crucem

cem suam, ac sequitur me à tergo, non est me dignus,  
Matth. 10.

*Avaritia.*

Sunt etiã quos ab inuestigatione veritatis remorantur commoda, quæ ex defensione malæ & oppugnatione veræ causæ percipiunt: qui facilius ab inuestigatione veritatis abstinere, quàm à cõmodis suis & quæstu auelli possunt, de quibus loquitur Apostolus, 1. ad Timoth. 6. v. 5. Et ad Tit. 1. v. 11. Quibus cogitandum est, non esse ex Ecclesiæ discordijs adeoque ex animarum negociatione quæstum faciendum: Cogitandum est illud Christi, Matth. 6. Nolite thesaurizare in terra, vbi tinea & erosio corrumpit, & ubi fures profodiunt ac furantur, sed thesaurizate in coelo: Et illud Apostoli, 1. Tim. 6. Quæstus magnus est pietas cum animo sua sorte contento: Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus: Cogitandum illud quod Petrus de eiusmodi animarum negociatoribus dicit, 2. Pet. 2. vers. 3. Quibus damnatio iam olim non otatur, & quorum exitium non dormitat: Denique cogitandum quorsum Iudam & alios præcipitarit avaritia. His cogitationibus muniti, quotquot gustum alii quem pietatis habent, non sinent se terrenis commodis ab inuestigatione & cognitione veritatis auocari, sed terrena omnia facilè celestibus & spiritualibus postponent.

*Metus ignominie ab mutata sententiã.*

Retardat etiam nonnullos & remoratur metus ignominie, quæ interdum cum sententiæ mutatione coniuncta esse solet: qui sine accurata inuestigatione veritatis in sententia sua manere, quàm quærendo veritatem nescio quam suspicionem incurere, & mu-

re, & mutando sententiam suam, nescio quam ignominiam sustinere, malunt: ignominiosam existimantes prioris sententiæ mutationem. Quibus cogitandum est, coram Deo, coram Angelis, coram Ecclesia & pijs non ignominiosam, sed laudabilem esse erroris agnitionem, & reditum ad veritatem: turpem autem & ignominiosam esse in errore perseverantiam, & pertinaciam ad rectitudinem reuerti nolentem. Nam rectè Augustinus ait, sicut citatur decret. Can. 22. q. c. 10. Magnæ sapientiæ est reuocare hominem, quod male locutus est. Etsi enim prima sapientia est à recta via non aberrare: tamen hic etiam meretur laudem, qui admonitus ad eam reuertitur. Atque idem quæstione ex vtroque 108, Præstat, inquit, vinci à vero, quàm velle verum ipsum per falsa vincere. Melius quidem erat: ait idem serm. 22. de verbo Apostoli vnusquisq; onus suum portabit: si non erraremus: sed vel quod secundum est, faciamus vt errorem aliquando emendemus. Itaque eundem Augustinum, excellentissimum alioqui Philosophum & Theologum, non puduit Manichæorum errorem, quem professus erat, abicere; non puduit quædam in libris suis apertè retractare, vt ex libris Retractationum, quos ipse publicauit, satis apparet. Neq; ista retractatione ignominiam, sed laudem sibi in Ecclesia apud pios omnes peperit. Nam qui primas non potest habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ: Et qui non valet omnia impœnitenda, dicere, saltem pœniteat, quæ cognouerit dicenda non fuisse, ait idem Augustinus de ista retractatione in præfat. lib. 1. Retract. Cuius exemplum  
vtinam

ORATIO DE STUDIO

utinam hodie imitarentur, quos tenet illud insanabile scribendi cacoëthes, & in exitium præcipitat. Quid enim aliud est mutare sententiam, & à falsa reuerti ad veram, quam dare Deo gloriam? quæ certè nobis rebus omnibus, imò vita ipsa potior esse debet.

*Assentandi studiū.*

Iam multos etiam remoratur assentandi studiū. Nam propter personas, quas magni faciunt quidam in hæreses incidunt, ait Tertullianus. Et quàm multi hodie ad magnates se accommodant & eorum nutum obseruant? Quibus illud cogitandum est quod Paulus dicit: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem, ad Galat. 1.

*Negligentia.*

Adhuc supersunt negligentes quidam & ignaui, qui cum possint, plane non legunt, vel legunt quidem vt Psittacus suum  $\chi\alpha\iota\tau\epsilon$ , & indocti Monachi Euangelia & Epistolas in Ecclesia, sed nihil meditantur: Et tamen sæpè zelum præ se ferunt, sed zelum illum sine scientia, de quo ad Rom. dicitur. Hæc negligentia & socordia deponenda est, & ad diligentiam excitandus animus cogitatione mandati diuini, Ioannis 5. Scrutamini scripturas, 1. Tim. 4. Intende lectioni. Col. 3. Sermo Christi abundè habitet in vobis in omni sapientia.

*De medijs.*

Dixi hæctenus de obstaculis, quæ impedire veritatis inuestigationem solent, remouendis, atque ad eò quomodo aditus veritati patefaciendus, atque animus ad futuram controuersiarum dijudicationem quasi præparandus sit, breuiter exposui. Nunc de medijs & adminiculis quæ adhiberi porò ad veritatis inuestigationem possunt, & debent, breuiter,

breuiter dicam. Neque enim satis est remoueri ob-  
 stacula, quibus impediri veritatis cognitio solet: sed  
 adhibenda etiam media, quibus excitari in animis &  
 iuuari ac promoueri potest: quemadmodum in cura-  
 tione vlcis nō satis est remoueri pus ē vulnere, sed  
 emplastra etiam, quę partium diuulsarum cōsolida-  
 tionem faciant, adhiberi oportet. Primū igitur cor  
 pœnitens & humile, & docile est afferendum. Quems  
 admodum enim peccata sępē summa Dei dona &  
 bona, atque adē veritatis cognitionem in nobis  
 impediunt: ita pœnitentia ea excitat & auget. Nam  
 cor pœnitens vt à solo Deo pendet, ita soli se Deo &  
 Dei verbo subijcit, nec hominum auctoritatem, aut  
 terrena commoda respicit, aut veritati anteponit: In  
 corde contrito & humili habitat Deus, Esai. 57. Cor  
 contritum docet Deus, non mentes virulentas se-  
 curas & voluptatibus ebrias: Imo docilitas seu dis-  
 scendi cupiditas est fructus, ac proinde signū & argu-  
 mentum verę pœnitentię.

Deinde seriō & ardenter orandus est Deus vt no-  
 bis clementer adsit in veritatis inuestigatione, & stu-  
 dia nostra adiuuet, & intellectum illuminet.

Nam ipse habet clauem Dauid, ipse aperit & clau-  
 dit, Apoc. 3. id est, ipse sensum Scripturarum rese-  
 rat: ipse dat os & sapientiam, Luc. 21. Ipse dat sa-  
 pientiam omnibus postulantibus cum fide, Iacob. 1.  
 Ipse habet clauem scientię & cui vult, accommo-  
 dat: si non quemadmodum ipsi postulamus, at  
 certē quemadmodum ipse, qui falli non potest, &  
 qui disponit omnia sapienter, nobis expedire vi-  
 det: denique ipse solus est, qui media fortunat. Itaq;

D

Zacharias

1.  
Cor pœnitens.2.  
pœnit.

ORATIO DE STUDIO

Zacharias cap. 10. de hac re loquens, sic monet: Petite à Iehoua pluuiam in tempore serotinae pluuiæ, & Iehoua faciet coruscationes, atque pluuiam imbris dabit vobis, & cuique herbam in agro ipso: Et Dauid Psal. 119. Doce me, inquit, Domine viam tuam, da mihi intellectum, vt discam mandata tua, &c. Et Esaias cap. 8. Liga testimonium, obsigna, legem tuam in discipulo tuo: Et Christus Ioannis 17. Sanctifica eos in veritate tua: sermo tuus est veritas: Et Iacob. cap. 1. Si cui deest Sapiencia, postulet à Deo. Sic igitur præparato animo, accedendū est ad veritatis inuestigationem, & ordinarijs ac legitimis adminiculis diligenter vtendum. Nam anima sedulorum impinguitur, ait Salomon, Prouerb. 13. Et profectò verisimile non est inertibus & torpentibus S.S. subuenire. Hic igitur opus est primò lectione Scripturæ & librorum vtrinque editorum, vel auscultatione diligenti concionum & prælectionum: Deinde pia meditatione. In meditatione illa tum dogmata ipsa controuersa per se, tum circumstantiæ considerandæ. In consideratione dogmatum ipsorum primum videndum, vt status causæ rectè cognoscatur, & quæ sit mens & sententia eorum qui dogmata diuersa profitentur, vel ex scriptis, vel ex sermonibus præcipuorum doctorum colligatur, nec sententiæ ipsorum vel addatur aliquid vel dematur. Vtinam in hanc regulam intuerentur, qui hodie in Ecclesia disceptant. Quàm multi enim sunt, qui quod nostrum est, & semper falsi sumus, nobis adimunt: & quod alienum est à nobis, & à quo abhorremus, tribuunt. Deinde dogmata controuersa eorumque fundamenta ad normam Sacrae scri

*Leq. fo.*

*Medito.*

*Stat. r. v.*

*Examine dogma  
tum ad scrip  
pturam facta*

Sacrae scripturae examinanda. Hanc enim supremum iudicem esse Deus ipse vult: ad hanc tanquam normam iudicandi omnes reuocat, ut in ea acquiescant: sicut dicitur Esai. 8. Ad legem & testimonium: Et Luc. 16. Habent Moſen & Prophetas: Ioannis 5. Scrutamini ſcripturas: Act. 17. Quotidie ſcrutabatur Scripturas, an reſ ita ſe haberet. Ex hac Scriptura quaestiones omnes & controuerſiae decidi, ex hac omnes falſae doctrine cofutari poſſunt. Verè enim Scriptura eſt diues theſaurus rerum ſpiritualium, ex quo homo doctus ad regnum caelorum depromit noua & vetera, id eſt, quicquid ad uſum animarum eſt neceſſarium. Matth. 13: Eſt utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad institutionem & correctionem, 2. ad Timoth. 3. Non eſt priuatae interpretationis, 2. Pet. 1: Sed eſt ſui ipſius interpres fideliffima, ſe ipſam exponens & declarans. Nam quod vno loco obſcurius, altero clarius, dicitur. Porro in examine dogmatum tum uerborum tum rerum conſideratio erit. Nam ſine uerborum intelligentia ad rerum cognitionem perueniri vix ac ne vix quidem poteſt. In uerborum conſideratione illud attendendum, vnde uerba ſint petita, ex Scriptura ne, an ex hominum iudicio & uſu, ſint ne vetera uſitata perſpicua, an noua peregrina obſcura ambigua, id eſt, loquantur ne lingua Spiritus ſancti an ſua, id eſt humana: deniq; an affectent nouas phraſes, ut diuerſum ab alijs dicere videantur. Nam de hac re extat regula Pauli monentis, ne uerborum pugnas ſequamur, quae ad nullam utilitatem, ſed ad ſubuerſionem audientium faciunt. Proxima cura erit conſiderare, an res quae nouis phraſibus exponuntur.

*Conſidero phraſes  
ſui phraſes.*

*Conſidero reſ.*

ORATIO DE STUDIO

nuntur, in scriptura contineantur, id est, an nouarum vocum sensus significatioque in Scripturae sensu contineatur. Si non continetur, abstinendum erit. Si continetur, iterum videndum, an receptae sint voces istae, & usitatae in Ecclesia. Si usitatae sunt, utendum sane: si non: abstinendum. Nec enim tutior via est aut esse potest, quam si scripturae vestigijs insistamus, & Spiritus sancti lingua loquamur, aut hac lingua loquentes imitemur; De quibus omnibus eruditè docet Augustinus Tractatu 97. in Ioannem, & Nazianzenus lib. 5. Theologiae. Habita verborum consideratione, ad rerum considerationem veniendum est. Nam in noui dogmatis examine nemo feliciter versari potest, nisi res ipsas accuratè cognoscat. Quod si fortè dogmatis tractatio intricatior & difficilior videtur, quàm ut omnem eius rationem enodare aut assequi possis, ne cognitionem omnem statim abijce, sed secundum mensuram tibi concessam age & præcipuos scripturae locos, qui ad rem istam maximè pertinere videntur, euolue. Nam veritatem scire poteris, etsi non omnes quæstiones difficiliore & omnia sophismata enodare possis, quæ ut subtilitatem quandam præ se ferunt, & parum faciunt ad ædificationem & spiritualem animarum institutionem, id est, ad fidem, charitatem & spem alendam: ita ignorari salua veritate & fide Christiana possunt. In rerum igitur consideratione & dogmatis ipsius examine sic versaberis, ut primùm expendas, an dogma cōtrouersum verbo Dei seu Scriptura sacra contineatur, vel non contineatur. Deinde an cum ea cōsentiatur vel pugnet. Nam hæc duo tanquam τεκμήρια sunt,



sunt, ex quibus veritas & falsitas dogmatum in Ecclesia demonstrari potest: Hi duo sunt omnis examinis Theologici fines ac termini. Nam quodcunque dogma neque in Scriptura expressè continetur, neque ex ea necessariò sequitur, id est, bona consequentia deducitur, non est pro articulo fidei & dogmate Ecclesiae recipiendū. Nam ad Legem & testimonium, ut ait Esaias cap: 8. & οὐδ' ἐμ' ἄτες γραφῆς, ut Apostoli dixerunt initio prædicationis suæ. Itaque si dogma, de quo quæritur neque in Scriptura expressum est, neque ex ea necessariò cōsequitur, id est, bona consequentia deducitur, non est pro vero dogmate habendum. Et quoniam nullum est dogma tam absurdum, quin Scripturæ testimonijs probari velit, & multi multa afferunt, attendendum est cuiusmodi sint testimonia & argumenta illa quibus utuntur, verène probent, an ad propositū dogma probandū detorqueantur, atque adeò principiū petant, hoc est, nihil probent, quod tum ex cōsideratione circumstantiarū, tum ex similium locorum apta inter se collatione & totius fidei analogia colligi potest. Si animaduerteris Scripturæ dicta ad nouum dogma detorqueri, & dogma illud nullo fundamento niti, causa nulla est cur assensum præbeas. Similiter quodcunque dogma aut cum expressis Scripturæ testimonijs aut eorum consequentibus necessarijs pugnat, & in articulos fidei impingit, tanquam falsum est reiiciendum. Nam omnis Scripturæ interpretatio analogia fidei esse debet, Rom 12. Itaque si dogma, de quo quæritur, aut cum expressis Scripturæ testimonijs aut eorum consequentibus necessarijs pugnat, vnusquisque causam

ORATIO DE STUDIO

si iam iustam habet curid reijciat & ipsum missum faciat. Rursus quodcunq; dogma verbo Dei seu Scriptura sacra expresse continetur, aut ex ea bona & necessaria consequentia deducitur, & cum omnibus eius partibus consentit, id verum sit necesse est. Itaq; si dogma, de quo queritur verbo Dei seu Scriptura sacra expresse continetur, aut bona & necessaria consequentia ex ea extruitur: verum sit oportet, ac proinde absque omni dubitatione est recipiendum.

*De abusu  
in Ceremonijs.*

Quod si de ceremonijs agitur, distinguendū inter diuinas & humanas. De diuinis ex verbo Dei expresse iudicandum: De humanis verò ex generali regula Pauli de *ἑνταξία*, & decoro in Ecclesia seruando, 1. Corinth. 14. In diuinis, si apparet abusus pugnans cum verbo Dei, aut institutione diuina, cogitandum est, satius & tutius esse Dei autoritatem & institutionem sequi, quàm hominum traditiones & abusus: & tolli atque aboleri tales abusus secundum præscriptum verbi diuini, quàm eorum usurpatione & propugnatione non solum conscientiam lædi, sed etiam Ecclesiam Dei perturbari. In humanis & medijs, quæ ad *ἑνταξίαν* & faciendam inter Ecclesias concordiam pertinent, pro ratione temporum, locorum, personarum, publicam pacem & concordiam, quantum fieri potest, spectare & scandalum vitare decet. Nam contentionibus istis non solum nihil promouetur, sed etiam multa mala excitantur, & bona impediuntur. Nam infirmi fratres offenduntur, dum vident de ijs certamen suscipi, quæ in Scriptura non habent expressum mandatum: Et reuera inferiores sunt istæ res mediæ, quàm vt propter eas scindenda sit Ecclesie concordia:

concordia: modò absit abusus, & nihil contra fidem admisceatur, & siue in obseruatione, siue in omissione offendiculum infirmorum fratrum diligenter caueatur, Marci 7. Rom. 14. 1. Cor. 8. & 10. 1. Timoth. 4. ad Tit. 1. Act. 11. Nec disciplina vlla est in his melior graui prudentiq; Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcunque fortè deuenit, ait Augustinus ad Ianuarium lib. 1.

Ergo hoc modo dogma controuersum ad Scripturam examinabis: atque hoc est ἡγεμονία τῆς ὑπαφῆς quod Christus præcipit Ioan. 5: Et quod Beroenses fecisse Lucas commemorat, Act. 17. Vbi hoc feceris, proximum erit, vt aliorum iudicia, præsertim in rebus difficilioribus, cognoscas. Audies igitur viros doctos, pios & moderatos, priuatim & publicè: Quo modo Hieronymus Damasum Romæ, Nazianzenum in Cappadocia, Epiphanium in Cypro, Apollinarianum in Syria, Didymum in Aegypto: & Basilius Ecclesiarum Græciæ, Thraciæ & Asiæ, quas perlustrauit, doctores præcipuos audiuit: audies qui benè præ sunt Ecclesijs pastores: audies legitimè coactas synodos & concilia: audies denique hominem quemuis spiritu Dei afflatum & singularibus donis ornatū: & exemplo Eunuchi reginæ Candaces adiunges tibi Philippum aliquem, qui obscura illustret, ambigua distinguat, ignota definiat. Act. 8. Ita enim Deus ipse sanxit, vt in rebus dubijs, & maximè in doctrina religionis iuniores rogent & audiant seniorum sententias, imperiti consulant peritos & doctos. Deut. 4. & 32. Et sæpè utiliter habitæ sunt Synodi de rebus religionis, vt Hierosolymæ, Act. 15, Niceæ, Ephesæ & alibi.

Profe

## ORATIO DE STUDIO

Profectò vbi manifestam habes Scripturæ sententiam, ac præterea sanctorum interpretum testimonia, cum ipsius scripturæ sententia congruentia, non video quid tibi ad veritatis cognitionem amplius deesse possit. Atque hic consensus te ad Ecclesiam deducet. Nam vbiunque congruenter verbo Dei docetur, & rectè ac secundum institutionem Christi Sacramenta administrantur, ibi certò statuas esse Ecclesiam, & in eius te gremium conferas, nec auelli te ab ea vllis clamoribus, præstigijs aut calumnijs patiaris. Sed enim si crux adhuc accedit ad istam considerationem, facilior & expeditior est cognoscendæ veritatis ratio. Nam crux affectus istos, qui nos impediunt, domat, & cristas nobis deijcit: crux veram poenitentiam & humilitatem in nobis efficit: crux humanarum, opinionum lignum, foenum, stipulam ceu ignis exurit: denique crux multarum rerum nobis est magistra. Vnde Esaias, vexatio, inquit, dat intellectum, cap. 28. vers. 19. Et Syracides: Qui non est tentatus, qualia scit, cap. 34. vers. 10. Neque vero opus est accersere crucem, vt Eremitæ & Monachi veteres, relictis vitæ Oeconomicae & Politicæ laboribus, molestias non necessarias sibi attraxerunt. Tantùm in studio & confessione veræ doctrinae & officijs vocationis siue in Ecclesia & Schola, siue in Re-pub. siue in Oeconomia fidelitatem præstemus: & sua sponte hanc comitabuntur labores, odia, cõtemp-tus, calumnie, exilia, carceres, supplicia, & in nobis curæ, metus, angores, dubitationes, errata & lapsus in consilijs & actionibus: &c.

Dixi quomodo ipsum per se dogma conside-  
randum

randum sit, & ad immotam sacre Scripturæ normam  
 examinandum: Nunc de circumstantijs, ex quibus  
 etiã de dogmate quadantenus iudicari potest, bre-  
 uiter dicam. Et si enim ex his de veritate aut falsitate  
 dogmatis certò concludi non potest: tamen ad for-  
 mandum iudicium, nõ parùm ista consideratio con-  
 ducit. Primùm igitur illud considerandum est, an  
 dogma de cuius veritate quæritur, sit nouum: an de  
 eo etiam in veteri Ecclesia disputatum sit atque de-  
 finitum: an cum veteris Ecclesiæ cõfessione pugnet:  
 an veteres hæreses in eo renouentur & quasi postli-  
 minio reuocentur.

Nullum enim dogma hodiè à fidelibus recipi-  
 endum, quod ignorauit primitiua Ecclesia, vel quod  
 pugnat cum vniuersali & perpetuo consensu eius, &  
 quidem nominatim aduersus hæreticos dimicantis.  
 Ita quæ si de dogmate controuerso animaduertis, vel  
 quod ignotum sit puriori antiquitati, vel quod cum  
 perpetuo eius consensu & confessione pugnet, cau-  
 sa nulla est, cur eiusmodi dogma amplectaris, aut de  
 eo amplius labores.

Deinde consideratione dignum est, quis & qua-  
 lis sit, qui nouum dogma in lucem profert, senex an  
 iuuenis, probè doctus & in sacris literis exercitatus,  
 an verò literarum expers & rudis, denique sano iudi-  
 cio & vitæ sanctitate præditus, an verò ambitiosus,  
 auarus, superbus, &c. Et si enim non à quo, sed quid  
 dicatur attendi debet, & sæpè etiam Olitor oportu-  
 na loquitur, & subuili pallio latet sapientia, vt pro-  
 uerbio dicitur: & quandoque etiam viri docti & san-  
 cti à scopo aberrant, vt Cyprianus in concilio Car-  
 thaginensi:

E. thaginensi:

ORATIO DE STUDIO

thaginensi: tamen eò magis doctrina suspecta esse debet, quo imperitiores, leuiore & improbiore sunt, qui eam primùm profitentur. Quanquam rursus cauendum est, ne ab altera parte, sanctitatis & eruditionis specienobis imponant hypocritæ & doxosophistæ, qui laruas induunt & studium vindicandæ gloriæ Dei præ se ferunt: re ipsa autem sua queerunt, vt Pharisei, & alij, de quibus ad Galat. 4. dicitur, Zelant vos, id est, simulant amorem vestri. Quorum doctrina eò magis suspecta esse debet, quò magis ipsi sanctitatem affectant. Quid enim non efficit Sathan, mille artifex, per hypocritas, ministros suos?

Tertiò considerandum, nouisne & peregrinis & obscuris phrasibus vtantur Dogmatistæ, an verò lingua Spiritus sancti & phrasi vsitata Ecclesiæ loquantur. Multi enim data opera nouas & ambiguas loquendi formas excogitant, vt errorem suum tegant, & incautos facilius in sententiam suam pertrahant. Qua in parte mirabiles artifices olim fuisse, Arius, Aetius & alij: & nostra etiam ætas tales multos vidit & adhuc videt.

Itaque meritò suspecta est doctrina, quæ obscuritate & ambiguitate gaudet. Nam monstri aliquid alunt, qui obscure loquuntur. Vnde Cyrillus lib. 9. in Ioannem cap. 40. Quemadmodum, inquit, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne redarguatur, Ioan. 3: Sic oratio improba, cum non audeat in lucem exire, ne redarguatur, obscuritate gaudet: Et Hieronymus in commentar: in Oseam: verbis, inquit, inordinatè prolatis, incurritur hæresis: Et Apostolus. 2. ad Timoth. 2. prophanas κενοφωνίας  
vicia

viae, id est, vocum nouitates cohibe, quia ad maiorem procedunt impietatem: Et Syracides cap. 37. Qui sophisticè loquitur, odibilis est, quia omni sapientia caret: Et rectè nostri dicunt, qui noua uocabula gignit, nouas res gignit: Et, oratio monstrosa, monstroſæ mentis est certissimum indicium. Quare si nouas, obscuras, inusitatas phrasas & uoces aspergi animaduertis, meritò suspectum erit, quod docetur.

Nam qui absque causa & data opera obscure loquitur, is fallere alios & decipere cupit: aut si non data opera: ipse quid dicat, aut loquatur, ignorat.

Quartò considerandum fuerit, utrum dogma de quo quæritur, sit concors, sibi constans, secum consentiens, an verò discors, multiplex & à seipso dissentiens, & seipsum euertens. Nam omne dogma quod secum pugnat, quod à seipso dissentit, quod sibi ipsi contradicit, quod seipsum euertit & destruit, id futile & falsum sit oportet: sicut è contrario, omne dogma, quod cum uerbo Dei & secum consentit, uerum sit oportet. Nam uerum uero consonat: falsum autem néque uero, néque sibi. Veritas enim, ut est simplex, ita sui similis est & sibi consentiens. Mendacium uerò, ut est multiplex, ita sui dissimile, & à seipso dissentiens.

Et certissimum indicium est tales Dogmatistas, tanquam *ἀυτοῦ Τηγεῖτες*, & in sua conscientia erroris conuictos & Spiritu uertiginis percussos, non posse tueri opinionem suam, sed saucia conscientia causam agere.

E 2.

Itaque

ORATIO DE STUDIO

Itaque si animaduertes dogma à seipso dissentire & secum pugnare, aut eos qui dogmati assentiuntur, inter se non consentire, sed suo se iugulare gladio, meritò eiusmodi dogma tibi suspectum erit.

Iam dignum etiam consideratione est, cur nouum dogma proponatur, aut quod iam ante sopitum erat, in lucem reuocetur: atque adeò quid ad mouendum dogma impellat, &c. Nam omnes ferè qui falsa dogmata in Ecclesiam inuexerunt, affectu aliquo non bono permoti leguntur. Alios enim ambitio & ardens studium gloriæ fortè stimulat ad aliquid audendum. Nam pulchrum est digito monstrari & dici *HIC* est: iucundum est quocunque modo, famam eruditionis consequi, præsertim apud imperitam plebeculam. Atque hoc morbo etiam præclara ingenia nonnunquam laborarunt. Sic enim Nestorium & Manichæos stimulauit ambitio & φιλαυτία, & fiducia eloquentiæ, Tripart. histor. lib. 10. cap. 1. & 12. cap. 4. apud Nicephorum in operis initio: Sic Tertullianum inuidia & contumelijs clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsum Hieronymus de Ecclesiasticis scriptoribus narrat: Arium, Macedonium, Eutychem, vindictæ cupiditas impulit, quòd petitorum honorum repulsam passi essent, de quibus Eusebius lib. 10. cap. 1. & alij scriptores Ecclesiastici literis prodiderunt. Alius fortasse respicit ad ventrem & ad priuatum commodum, sperans se non solum egregiam laudem, pro opera in tractatione noui dogmatis nauata, sed etiam ampla munera & honores reportaturum: sicut Apostolorum tempore quidam Pseudoapostoli lucri causa docebant,



docebant, quæ Iudæis grata fore iudicabant: & sicut Paulus Samosatensis ingentes opes cumulauit artibus suis, Hist. Ecclesiast. lib. 7. cap. 25.

Alius fortasse odio bonorum virorum, nouas opiniones serit, vel iam ante sopitas renouat: Alius, vt suam existimationem labascentem fulciat, néue in propugnandis erroribus peccasse videatur, ante conceptas opiniones pertinaciter defendit: Alius denique alijs rebus mouetur. Verùm enim uerò isti omnes non parùm suspectam reddunt doctrinam suam, & ad accuratius examen habendum non paruum ansam præbent. Etsi enim non ex affectibus doctrinam, sed ex doctrina affectus metiri decet: & interdum fit, vt vitiosis affectibus laborans sanam doctrinam tradat, & is cui propositum est nocere, qua parte se nociturum putat, ea vel maximè commodet: sicut Caiphas nescius & nolens veritatem à Spiritu sancto profectam in medium afferebat, Iohan: II, & illi de quibus Apostolus ad Philip. I. loquitur, qui per inuidiam & contentionem Christum prædicabant, existimantes se Paulo in vinculis constituto sic afflictionem addituros: tamen ad doctrinæ examen accuratius habendum, non parùm momenti affert hæc consideratio.

Similiter dignum consideratione est, quinam & quomodo dogma cōtrouersum defendant, nam vera doctrina non nititur præsijs aut libris humanis, sed defenditur & promouetur gladio Spiritus, id est, verbo Dei seu ministerio verbi Dei: sicut dicitur ad Hebr. 4. Viuus est sermo Dei & efficax & penetrantior quouis gladio ancipiti, &c. Atque hoc gladio

ORATIO DE STUDIO

Spiritus sanctus pugnare docet ministros Ecclesie aduersus hæreses, non autem gladio ferreo, sicut facit Romanus Pontifex & qui hunc imitantur. Contra falsa doctrina, quia robore argumentorum destituitur, opus habet humanis præsijs, quibus fulciatur. Ac notum est, quid olim fecerint Ariani & alij hæretici, vt fugerint ordinariam & legitimam cognitionem, vt se insinuarint in Gynecaia, & mulierum opera & ministerio vsi fuerint, in conciliandis hominum fauoribus & studijs, & in propagandis opinionibus suis: vt brachio seculari & hominum auctoritate se muniuerint: vt luserint Sophistica, ex arena, vt Irenæus scribit, ne ceteris argumentum, in quo nihil cohæret.

Quid hodiè fiat in Ecclesia, similiter notum est: eadem fabula agitur, tantùm mutatis personis. Constat enim vt doctrinam suam Pontificij defendant humanis præsijs, Sophistica, prohibitione librorum, Synodi detrectatione, igne, ferro, &c. Vt Pontificis & Ecclesie auctoritate se muniant, Ecclesiam & Pontificem errare non posse dictitantes: Vt imperatorum, regum, principum armis, vt populi fauore sese fulciant: Vt auditores suos in ignorantia detineant, eorumque aures calumnijs impleant: ita vt nostra doctrina nihil absurdius, nihil nocentius, aut magis impium esse arbitrentur. Quorum studia vtis nam non imitentur quidam, qui in Ecclesiarum reformatarum cathedris sedent.

Itaque etiam num suspecta videri potest doctrina, quæ humana auctoritate nititur, quæ humanis præsijs defenditur, quæ nulli vult examini & censuræ

furæ subijci. Nam quæ his fulcris nititur doctrina, humana potius est, quàm diuina, nec stare in legitimo iudicio potest.

Denique considerandum est, an Syllogismis legitimis vtantur nouorum dogmatum autores, an verò paralogismis ludant. Nam vt verum dogma ad veras Syllogismorum leges quadrat, & secundum eas se defendi patitur: ita plerumque falsum dogma paralogismos quærit, quibus se tegat, & fucum alijs faciat: Et vt veri doctores ad dogmata sua veram argumentandi rationem accersunt: ita plerumque falsi doctores eam non solum negligunt sed etiam contemnunt, interim paralogismis se oblectantes. Itaque merito suspectum est dogma, quod paralogismis defenditur. Et si enim non ex ratione, id est, ex principijs natura notis, sed ex principijs diuinitus patefactis, id est, ex verbo Dei: tamen secundum rationem, id est, secundum normas bonæ & necessarię consequentię argumentandum est in Ecclesia.

Dixi hætenus quomodo quis versari in dogmatibus controuersis debeat, vt ad cognitionem veritatis perueniat: Sed generatim adhuc dixi, & tum de obstaculis, quæ necessariò remouenda, tum de medijs, quæ adhibenda sunt, monui. De hodiernis controuersijs nunc speciatim nõ dixi, quia temporis ratio non tulit, sed aliàs pro re nata dicam: Et vobis ipsis facile est, quæ generatim dicta sunt, ad singularia accommodare.

Vos agite, in quibusuis, in primis autem in hodiernis controuersijs, propter quas multis veritatem non satis inuestigantibus exosi sumus, sic vos gerite, sicut

ORATIO DE STUDIO

sicut antea ex verbo Dei monui. Si hanc viam inda-  
 gandæ cognoscendæque veritatis iam antè ingressi  
 estis, vt de quibusdam vestrum non dubito, in ea perse-  
 ueurate: Sin minus, saltem externam obedientiam  
 Deo, Ecclesiæ & vobis ipsis præstate, & causam cog-  
 noscite: Remouete quæso obstacula, quibus impe-  
 diri inuestigatio & cognitio veritatis solet: repurga-  
 te animos à prauis affectibus, odio, ira, inuidia, φιλαυ-  
 τία, φιλονικία, ambitione, si quid horum in vobis de-  
 prehenditis: Seponite præiudicia, si fortè his labora-  
 tis: seponite præconceptas opiniones, si fortè his im-  
 buti estis, & libero ac vero iudicio iudicate: Seponite  
 curiositatem omnem, quæ veritatis cognitionem  
 remorari potest: seponite scandalum, si fortè vos  
 perturbat, & pio studio quærite veritatem: inuocato  
 Dei auxilio & in timore Dei legite Scripturam, au-  
 dite, considerate, ponderate: Cùm viris pijs & mode-  
 ratis & veritatis amantibus conferre assuescite: nolite  
 committere vt calumnijs, conuitijs, condemna-  
 tionibus, odio & inuidia aliorum, vt terrenorum bo-  
 norum commoditate, vt multitudine vel dignitate  
 corruptentium doctrinæ puritatem, à considerati-  
 one ista veritatis abducamini, sed omnibus foelicitatibus  
 huius mundi hoc studium veritatis anteponi-  
 te. Circumstantias etiam, de quibus ante dictum est,  
 expendite, & ad rem præsentem accommodate, &  
 Deo gloriam date.

Hoc pietas, hoc æquitas à vobis, imò à Christia-  
 nis omnibus requirit: Hoc Deo, hoc Ecclesiæ, hoc de-  
 nique vobis ipsis debetis: Deo, quia postulat: Eccle-  
 siæ, ne quando per vos turbetur: vobis ipsis, ne iudicium  
 cium

cium vobis accersatis, dum & veritatem oppugnatis, & eius studiosos homines innocentes condemnatis. Itaque si in vobis Dei, si Ecclesie, si propriae salutis amor est, hoc curate, hoc suscipite, hoc agite. Et si videritis lucem veritatis, imò si scintillam videritis, nolite resistere Spiritui sancto, sed date gloriam Deo, & humana omnia veritatis confessione posteriora ducite, sicut dicitur Ecclesiast. cap. 4. vsque ad mortem decerta pro veritate, & Dominus Deus tuus pugnet pro te: Nolite committere, vt de vobis verum sit, quod de Donatistis Augustinus in Epistola 48. ad Vincentium scribit: Quod multi eorum manifesta veritate commoti vellent quidem fieri Catholici: Sed id quotidie, reuerendo suorum offensionem, differrent: sed imitami Eusebium illum Ecclesiasticae historiae autorem, qui cum ante Nicenam Synodum Arianus esset, postea melius edoctus & conuictus luce veritatis, errorem agnouit, & deposuit: Imitami Augustinum illum excellentissimum Theologum, qui non tantum à Manichæis redijt ad veram Ecclesiam, sed etiam in ea iam dudum Orthodoxam religionem professus, & iam senex libros Retractationum edidit. Cogitate quod idem in Epistola paulò ante citata ad Vincentium scribit: Quid adhuc dubitas tenere quod sentis, nisi quia id quod non sentis, aliquando sensisse vel illud defendisse confunderis? Et dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore? quod utique potius erubescendum fuit. Quod si fortè non potestis omnes omnia statim assequi: si non ilico omnibus omnia patent: ne turbari vos sinite, sed in proposito perseuerate, &

F.

Spiritu.

ORATIO DE STUDIO

Spiritu Dei regi mentes vestras petite. In eo studio vos diuinitus iuuari sentietis, sicut dicitur: Labor vester non erit inanis in Domino i. ad Corinth. 15. & quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus, Luc. 11. Et, qui dat sapientiam omnibus qui postulant, nec exprobat. Iacob. 1. Et inuenietis sine dubio, in quo mentes vestræ tutò possint acquiescere, & vel inter asperrima Ecclesiarum & Ecclesiasticorum dissidia læti agetis.

Quod si cognito fundamento fortè non omnia quæ cupitis, præsertim quæ à Sophistis argutè dicuntur, enodare potestis: tamen fundamentum tenete, quod Scriptura monstrat, & quod ad spiritumalem ædificationem facit, & consolationem viam & solidam & in Deo acquiescentem suppeditat, & ad charitatem ac tolerantiam Christianam vos affuefacite. Nam scientia inflat, charitas verò ædificat, i. Corinth. 8.

Si qui secus fecerint, hoc est, si media ista quibus ad cognitionem veritatis perueniri potest, neglexerint, & aspernati fuerint, cum vti possent, & affectibus suis & præiudicio potius obtemperauerint: ut sunt semper homines improbi, qui vel odio vel φιλαυτία vel ambitione vel alio prauo affectu moti ordinem cognitionis diuinitus sancitum euertunt potius, & articulos fidei omnes labefactant & in quæuis absurda se præcipitant, quàm ut præconceptam opinionem relinquunt, & veritati cedant, aut errorem fateantur: ij certè non effugient vlttricem Dei manum, sed suo tempore certò eam sentient, & pœnas

& pœnas sibi tum temporarias, tum æternas, nisi resipiscant, attrahent, hoc est, iusto Dei iudicio excæcabuntur, vel vt Apostolus loquitur, immittetur eis efficacia erroris, vt credant mendacio, eò quòd amorem veritatis non receperunt, 2. Thessal. 2. Quam excæcationem in multis hodie videmus: qui cum iustam veritatis inuestigationem neglexerint, & media quibus ad veritatis cognitionem perueniri potest, aspernati sint, in errore hærent ad ambas vsque aures, nec se extricare possunt, sed iusto Dei iudicio magis intricant & inuoluunt. Itaque non est mirum, quod tamen multi sæpenumerò mirantur, tam ingeniosos & tam eruditos viros interdum non videre veritatem, sed in media luce cæcutire. Nam pœna est, excæcatio est, à iusto iudicio Dei profecta, eò quod affectibus suis indulgentes, cognoscendæ veritatis media aspernentur: Quam pœnam nisi in hac vita resipiscant, tandem æterna damnatio sequetur. Nam qui Dei ordinem contemnit & negligit, is Dei bonis fruere poterit? qui media veræ foelicitatis, quæ in cognitione veritatis sita est, aspernatur, & foelicitates huius mundi aut affectus suos verbo Dei & eius veritati anteponeat: is foelicitatem istam consequetur? Itaque videmus, vt multi velut Spiritu vertiginis percussi, sese præcipitent: vt se pascant calumnijs: vt mordeant: vt indignabundi fremant: vt tumultuentur: vt ferueant: vt quiescere nequeant, donec eos quos semel odio suo dignos iudicarunt, euertant & cineribus Ecclesiæ sepeliant.

De

ORATIO DE STUDIO

De me & Clarissimo Collega illud polliceor, ut  
per media legitima ad veritatis cognitionem per-  
uenimus, sepositis affectibus & præiudicijs, rem to-  
tam, ad quã conscientia potius quàm scientia opus  
est, considerantes, & ad verbum Dei examinantes: ita  
alijs cupientibus eandem viam prompto hilarique  
animo priuatim & publicè monstraturos esse. Nam  
credidi, propterea locutus sum, ait Propheta. Pro-  
ponemus studiosæ iuuentuti ex verbo Dei doctri-  
nam simplicem, salutarem, viuam & efficacem ad  
consolandum in periculis corporis, in animæ tenta-  
tionibus: denique in vita & morte. Vos optimi iu-  
venes considerate, quod dicturi sumus, & ad nor-  
mam examine. Si quis hæret, si dubitat, si secus at-  
que nos sentit, si fortè calumnias, conuitia, condem-  
nationes doctrinæ nostræ audiuit, aut legit, adeat  
nos priuatim, si publicè non licet: aut si licet, publi-  
cè nobiscum conferat sine affectu & præiudicio, &  
cognoscendæ veritatis studium re ipsa demonstret.  
Testis est Deus, ad cuius tribunal nos omnes sisti o-  
portet, nos aliud nõ loqui & confiteri, nisi de quo te-  
stimonia diuina nos conuincunt: à nobis in his con-  
trouersijs aliud non spectari, nisi gloriam Christi &  
salutem Ecclesiæ & nostram. Gratiam, fauorem,  
tranquillitatem & commoda externa alibi conse-  
qui possemus: sed veritatem & veritatis propagatio-  
nem rebus humanis omnibus anteponendam esse  
ducimus: quam profitebimur, quamdiu Deus volet,  
& nobis licebit. Si ad propagandam sanam doctri-  
nam aliquid adiumenti attulerimus, Deo gratias  
agemus, & Ecclesiæ ac Reipub. gratulabimur: Sin mi-  
nus




nus quàm speramus, fortè profecerimus, saltem no-  
 stro officio, quoad poterimus defungemur, & in  
 conscientia bonæ causæ acquiescemus. Nam gloria  
 nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ,  
 sicut Apostolus loquitur 2. ad Corinth. 1. Sed finem  
 facio: Nam & tempus ita postulat, & bonos omnes  
 sui erga Deum, erga Ecclesiã, erga seipsos officij me-  
 mores, confido non præcipituros posthac iudicia  
 sua in controuersijs Ecclesiasticis: & ne præcipitent,  
 per Christi gloriam, & Ecclesiæ atque ipsorum salu-  
 tem oro. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi per  
 Spiritum sanctum oculos ad videndam veritatis iu-  
 cundissimam lucem aperiat omnibus qui eam seriò  
 quærunt: Cæteris verò qui non quærunt, sed temerè  
 negligunt, aut contra conscientiam dissimulant, aut  
 oppugnant, & sine causa nos odio prosequuntur,  
 det, vt resipiscant in tempore, & futuram iram  
 effugiant, & æternam foelicitatem cum  
 omnibus electis consequan-  
 tur, A M E N.





M. D. LXXVIII.





153633


AB: 153633

ULB Halle 3  
003 878 910



Sb.







B.I.G.

Farbkarte #13

ORATIO  
DE QVAESTI-  
ONE ILLA: DISSEN-  
SIONIBVS IN ECCLESIA

GLISCENTIBVS, QUID FACERE HOMO  
*Christianus, praecipueq; sacrarum literarum studiosus, & quo-  
modo se gerere debeat, vt ad Cognitionem veritatis perue-  
niat: a GEORGIO SOHN, S. Theologiae Doctore,  
in celeberrima Academia Heydelbergensi  
habita, XVIII. Iulij, Anno  
CIC. IO. XXXIV.*



HEYDELBERGÆ,  
Excudebat Iacobus Mylius 1584.